ዝንቱ ፡ መጽሐፍ ፡ ትምህርት ፡ ዘልሳነ ፡ ግዕዝ ፡
ዘይሰመይ ፡ ከሌዳዊ ፡ ሐዲስ ፡ ስርአት ፡ ተገብረ ፡
ከመ ፡ ይትመሀሩ ፡ እለ ፡ ኢየአምሩ ፡ ሠናይ ፡ ውእቱ ፡
ተገብረ ፡ በእይ ፡ ማሪአኖ ፡ ዊቶሪኦ ፡ ዘሬእቱ ፡፡

CHALDEAE,
SEV
AETHIOPICAE
LINGVAE
INSTITVTIONES.

Opus vtile, ac eruditum.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Typis Sac. Congregationis de Propaganda Fide.
M D C X X X.

SVPERIORVM LICENTIA.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ROMAE

[illegible]

S. D. N.

VRBANO VIII.

P. O. M.

CATHOLICAE Fidei apud Oriẽtales Aethiopes, quos Abiſſinos vocant, inſtauratores, PATER BEATISS. vt ſalutarem doctrinam, quã ijs populis viua voce promulgare non deſinunt, editis etiam libris, poſſint quam latiſſime propagare; tranſmiſſa hucuſque eius linguæ triplici ſerie, ſola magnitudine differentium Litterarum, ad earum ſpeciem, & exemplar excuſos æreos characteres, cæteraque impreſſoriæ artis inſtrumenta ab Vrbe ſibi remitti poſtulauere. Id, ego, negotij Tuæ Sanctitatis iuſſu, cum

lu-

lubenti, alacriq. animo ſuſcepiſſem, ex tribus elementorum ordinibus eum ſelegi, formandumque ex ære curaui, qui, quia figuris minoribus erat, aptiſſimus viſus eſt & expeditiſſimus. Nec ſatis mihi fuit vnum dumtaxat Apparatum conficere Litterarum, qui, ſcilicet, in Aethiopiam flagitantibus mitteretur, ſed alterum præterea addidi, qui Romæ retentus, Sacræ Congregationi Propagandæ Fidei deſeruiat, & hanc linguam Religionis bono addiſcere volentibus præſto ſit. Huius apparatus vt ſpecimen aliquod exhiberem, noua inſtrumenta vſu ipſo dedicaturus, Aethiopicæ lingue Grammaticen à Mariano Victorio ante annos penè octoginta editam, & dein conſumptis exemplaribus velut emortuam, denuò his Sacræ Congregationis typis expreſſi, & ſub aſpectum reuocaui ſæculi noſtri, ſi Tua

San-

Sanctitas, cui multis nominibus quantulacunque res eſt, dedicatur, ſereno illam vultu reſpexerit; multò felicius rediuiuam. Reſpiciet (haud fas eſt dubitare) quæque ab excellenti Latinæ, Græcæque linguæ eruditione maximarum rerum ſcientia eſt auſpicata, ſibi tamen regnorum omnium, gentiumq. parenti Aethiopicum ſermonem barbarum non putabit. Et cur non libenter eius ſequatur exemplum, cuius vices in terris gerit? Etenim Chriſtus Dominus quamuis triumphali Crucis in titulo tres principes linguas ſibi tantummodo conſecrauerit, non tamen reliquas ille reiecit, qui per Regium Vatem nationes vniuerſas ad ſui præconia numinis inuitauit. Nec vero propria deeſt, peculiariſque cauſa, PATER BEATISSIME, cur linguam diligas eius gentis, quæ inchoa-

choata primum in Florentino Concilio cum Eccleſia Romana reconciliatione, multoſque poſt annos miſſis ad Leonem Decimum, moxque ad Clementem Septimum Florentinos Pontifices litteris, tandem perfectæ ad Catholicam Fidem reuerſionis gloriam, Numinis arcano conſilio Tibi reſeruauit, ac detulit Pontifici ex eadem principe Etruriæ vrbe ad omnem laudem immortaliter eſſloreſcenti. Aethiopia, inquam, Romanis armis Auguſto Principe vix tentata, tuis nunc demum auſpicijs Romanæ Religionis effecta prouincia, tui Pontificatus initia reddidit auguſtiora. Ad hanc ſalutarem victis diuinamque victoriam obtinendam, ſingularem Tibi operam præſtitit Societas Ieſu; illa eadem, quæ toto orbe terrarum fortiſſimè præliatur aduerſus errores, omnium triumphorum lauream

ream

ream adepta maiorem, quantò plus eſt Romanæ veræque religionis terminos in tantum promouiſſe quàm Imperij. Miratur ætas noſtra, quod & poſteritas ſermonibus celebrabit, Aethiopes illos, qui tam pertinacis errore diſſidij miſerrimè animos infuſcauerant, tuis hiſce temporibus Latinæ pietatis adamata puritate, effectos eſſe, vel ipſo Cœlo iudice, candidiſſimos. Gens illa præpotens etiam ante bella Troiana, quæ ſuis è Regibus vnum æſtimatione propriæ claritudinis Auroræ filium Memnonem dixit, quæq. ſuperbi Orientis amatrix ab Alexandrinis Pſeudoepiſcopis hæreſum & ſchiſmatis tenebras hauſerat, nunc tandem meliore ſententia eò conuerſa, quò Chriſtus è throno Crucis ſacroſanctum os, quaſi animam inſpiraturus, obuerterat; Romanam Petri Sedem in Occidente ſalutis agno-

ſcit

ſcit Auroram; teque, Pater Beatiſſime, ex ea terrarum Orbi reddentem oracula, diuino fulgore Solem inclytum veneratur.

Sanct.ᵗⁱ Tuæ

Humillimus ſeruus & ſubditus.

Achilles Venerius, Agens Sacr. Congregationis de Propaganda Fide.

Google

PROOEMIVM.

A Ethiopicam linguam, quã Chaldęam vocant Aethiopes, veluti quæ à Chaldæa Babilonica exoriatur, Hebraicæ quam maxime ſimilem eſſe, haud dubium eſt: quod euenit, quia ab Hebræa, non ſecus quam Syriaca, Arabica, ac etiam Babilonica, quam Aſſyriacam etiam appellamus, originem ducit: ſcimus tamen Aethiopes contrarium aſſeuerare, velleq. Hebraicam poſteriorem, & a ſua progenitam potius eſſe: vtcunque ſatis ex hoc conſtat, facillime perdiſcere hanc poſſe, qui Hebraicam ipſam calleat, ſi quidem maior nominum pars vtriuſque linguæ communis eſt, ſuntve eædem ferè in Grammatica regulæ, idem dictionis genus, ijdemq. in deſcribendis, ſignandiſque vôcalibus literis ritus: nam vbi He-

brei punctis, lineiſque exterius literæ appoſitis, vocales explicant, Aethiopes quoque idem faciunt, differuntque in hoc vno, quod lineam ipſam, punctumque exterius haud aſcribunt, ſed ipſiſmet literis coniungunt: eſt & alia differentia, quod interdum Aethiopes non ſolum lineam non adiungunt, ſed etiam partem ipſiuſmet literæ detruncant, atque reſcindunt vt euenit maiori ex parte literis quæ ſunt quatuor, ac vltimæ claſſis: eſt & in punctorum quoque poteſtate, quantitate, vt non parua inter eoſdem ſimilitudo. ſiquidem literæ primę claſſis, habent a, breue, ideſt patah: literæ ſecundæ, u, longum, ideſt vauſurech: tertiæ, hirech: quartæ, a, lougum, ideſt camez: quintæ, e, longum, hoc eſt zere: ſextæ, e, breue, ac etiam mobile, hoc eſt ſceua: ſeptimæ vero o, magnum, ſeu longum, hoc eſt holem: quæ omnia, prima ſunt penes ipſos Iudæos

A pun-

puncta,principeſque vocales. Alphabetum quoque ipſum, quod Latinis, aut Græcis literis,quarum tantum copiam apud impreſſorem habuimus, explicari minus commode poteſt; vt quod Latino, aut Græco parum appoſite reſpondeat: Hebraico,cui illud affine eſt,optime exprimitur, ac explicatur: verum literarum Hebræarum ordinem inuertere, tranſponereque oportet, vt quælibet earum, ſingulis, quæ in ſubſcripto Aethiopum Alphabeto ex ordine poſitæ ſunt,proprio reſpondeat loco.

Alphabetum, vel Syllabarium Aetiopicum, ſeu Abyſsinum, Hebraico correſpondens.

Nomen,	Poteſtas, a,bre.	u,lóg.	i,lon.	a,lon.	e,lon.	e,bre.	o,lon.	Numer.
Hoi ה	ha ሀ	hu ሁ	hi ሂ	ha ሃ	he ሄ	h ህ	ho ሆ	1 ፩
Laui ל	la ለ	lu ሉ	li ሊ	la ላ	le ሌ	l ል	lo ሎ	2 ፪
Haut ח	ha ሐ	hu ሑ	hi ሒ	ha ሓ	he ሔ	h ሕ	ho ሖ	3 ፫
Mai מ	ma መ	mu ሙ	mi ሚ	ma ማ	me ሜ	m ም	mo ሞ	4 ፬
Saut ס	ſa ሠ	ſu ሡ	ſi ሢ	ſa ሣ	ſe ሤ	ſ ሥ	ſo ሦ	5 ፭
Rees ר	ra ረ	ru ሩ	ri ሪ	ra ራ	re ሬ	r ር	ro ሮ	6 ፮
Sat ש	ſa ሰ	ſu ሱ	ſi ሲ	ſa ሳ	ſe ሴ	ſ ስ	ſo ሶ	7 ፯
Kaf ק	Ka ቀ	Ku ቁ	Ki ቂ	Ka ቃ	Ke ቄ	K ቅ	Ko ቆ	8 ፰
Bet ב	ba በ	bu ቡ	bi ቢ	ba ባ	be ቤ	b ብ	bo ቦ	9 ፱

Taui	ta	tu	ti	ta	te	t	to	10
ת	ተ	ቱ	ቲ	ታ	ቴ	ት	ቶ	፲
Hharm	hha	hhu	hhi	hha	hhe	hh	ho	20
ח pfund.	ኀ	ኁ	ኂ	ኃ	ኄ	ኅ	ኆ	፳
Nahas	na	nu	ni	na	ne	n	no	30
נ	ነ	ኑ	ኒ	ና	ኔ	ን	ኖ	፴
Alph	a	u	i	a	e	e	o	40
א	አ	ኡ	ኢ	ኣ	ኤ	እ	ኦ	፵
Caf	ca	cu	chi	ca	che	c	co	50
כ	ከ	ኩ	ኪ	ካ	ኬ	ክ	ኮ	፶
Vaue	va	vu	vi	va	ve	v	vo	60
ו	ወ	ዉ	ዊ	ዋ	ዌ	ው	ዎ	፷
Hain	ha	hu	hi	ha	he	h	ho	70
ע	ዐ	ዑ	ዒ	ዓ	ዔ	ዕ	ዖ	፸
Zai	za	zu	zi	za	ze	z	zo	80
ז	ዘ	ዙ	ዚ	ዛ	ዜ	ዝ	ዞ	፹
Iaman	ia	iu	ii	ia	ie	i	io	90
י	የ	ዩ	ዪ	ያ	ዬ	ይ	ዮ	፺
Dent	da	du	di	da	de	d	do	100
ד	ደ	ዱ	ዲ	ዳ	ዴ	ድ	ዶ	፻
Gheml	ga	gu	ghi	ga	ghe	g	go	200
ג	ገ	ጉ	ጊ	ጋ	ጌ	ግ	ጎ	፪፻

Tait	tha	thu	thi	tha	the	th	tho	300
ט	ጠ	ጡ	ጢ	ጣ	ጤ	ጥ	ጦ	፫፻
Ppait	ppa	ppu	ppi	ppa	ppe	pp	ppo	400
פ fortius.	ጰ	ጱ	ጲ	ጳ	ጴ	ጵ	ጶ	፬፻
Tzadai	tza	tzu	tzi	tza	tze	tz	tzo	500
צ	ጸ	ጹ	ጺ	ጻ	ጼ	ጽ	ጾ	፭፻
Zzappa	zza	zzu	zzi	zza	zze	zz	zzo	600
צ	ፀ	ፁ	ፂ	ፃ	ፄ	ፅ	ፆ	፮፻
Af	fa	fu	fi	fa	fe	f	fo	700
פ	ፈ	ፉ	ፊ	ፋ	ፌ	ፍ	ፎ	፯፻
Psa	pa	pu	pi	pa	pe	p	po	800
פ	ፐ	ፑ	ፒ	ፓ	ፔ	ፕ	ፖ	፰፻

Aliæ Syllabæ, ſeu Characteres.

quà	qui	quà	què	queu	900
ቈ	ቊ	ቋ	ቌ	ቍ	፱፻
guà	gui	guà	guè	gueu	1000
ቘ	ቚ	ቛ	ቜ	ቝ	፲፻
Kuà	Kui	Kuà	Kue	Kueu	2000
ኰ	ኲ	ኳ	ኴ	ኵ	፳፻
hqua	hqui	hqua	hque	hqueu	
ኈ	ኊ	ኋ	ኌ	ኍ	

DE LITERIS, & Syllabis.

LIteræ, vt vides, apud Chaldæos, ſiue Aethiopes, ſunt ſex & viginti, quæ cum vocalibus multiplicatæ aſcendunt ad numerum clxxxij. preter viginti alias quas in fine Alphabeti poſuimus. Licet eo dicendi genere, quod ipſis floridum, copioſum, & elegans eſt, quodq. ab eis Babilonicum dicitur, nonnullos alios characteres habeant, nobis uſque hodie prorſus incognitos, vtpote qui nullam de eo in Sacris litteris mentionem habeamus, cum ſit patrium, ac vernaculum genus dictionis.

LITERARVM DIVISIO.

LIteræ, cum omnes habeant vocalem affixam: in Vocales, & Conſonantes, niſi quoad pronunciationem

diui-

diuidi non poſſunt: figura enim cum vocalibus, tum conſonantibus eadem eſt. At ſi malueris contrarium aſſeuerare, Vocales erunt, quæ nec figuram, neque pronunciationem communem habet cum conſonantibus; vt eſt litera Alph, 13. Conſonantes vero omnes, quæ ſexti ordinis, cum interdum non habeant e, mobile, remanent puræ conſonantes: quamuis Aethiopes ipſi omnes literas vocales dicant, non conſonantes; quæ tamen ad ſeptem coarctantur, videlicet a, breue, & a, longum; e, breue, & e, longum; i, longum; o, longum; & u, longum.

Diuiduntur itidem omnes literæ Alphabeti, vt ſupra videri potuit, in ſeptem claſſes, quæ omnes, preter primam, & ſextam longæ ſunt; nam *U*, exempli cauſa, primæ claſſis habet a, breue; *U*, ſextæ habet e, breue, quando non eſt conſonans; at in cæteris claſſibus ſemper

habet vocalem longam, & ita de cæteris dicendum eſt.

Diphtongos nullo modo habent, neque diuidunt literas, vt nos Latini, in mutas, liquidas, & ſemiuocales.

Diuiduntur tamen omnes, vt apud Hebræos in gutturales, linguales, labiales, palatinas, dentales, & vnam epiglotticam, ideſt, quę lingula illa, quę eſt ad os gutturis, profertur.

Gutturales ſunt quinque ሀ ሐ ኀ አ ዐ፡
Linguales ſunt ſex ለ ረ ተ ነ ጠ ደ፡
Labiales ſunt quinque መ በ ወ ጰ ፐ፡
Palatinæ ſunt tres ከ የ ገ፡
Dentales ſunt ſex ሠ ሰ ዘ ጸ ፀ ፈ፡
Epiglottica vna ቀ፡ hanc tamen Hebræi Palatinam faciunt.

Carent Aethiopes, vt in eorum Alphabeto videri potuit, literis q, x. & y, ſed pro q, vtuntur ከ, vel ቀ; pro x, vtuntur duabus his litteris ክሰ, cſ; pro y, vtuntur i, ſimplici.

Ha-

Habent triplicem aſpirationem *U*, *ch*, & *ч*, verum *U*, eſt he Hebræum, *ch*, & *ч*, chet itidem Hebræum, ſed ſecundum primo profundius pronunciatur: Hain autem, quę ita ſcribitur *O*, potius reſpõdet hain Hebraicę, quam noſtrę aſpirationi; habent & duplicem c, videlicet *Φ*, & *h*, ſed *Φ* potius Kof Hebręorum, quã noſtrum k, ſeu Gręcorum *κ*; *h*, verius eſt caf Iudęorum, quam noſtrum c, vel *κ*, ſeu *χ*, Græcorum.

Vtuntur pro z, his literis *H*, *R*, & *θ*, ſed duæ vltimę in pronunciatione verius referunt tzade Hebraicum, at *H*, refert *ζ*, Gręcum ſi ut Hiſpani pronũcies potius quam noſtrum x, aut noſtrũ z, Italorum modo proferendo, ſed tamen harũ uice habent *H*, pro z, *R*, pro tz; *θ*, pro zz; *Ɯ*, reſpondet u, noſtro conſonãti, uel uerius uau, Hebręo. Cęterarũ literarũ poteſtatem ex ipſo Alphab, quod ſupra poſuimus, notare poteris.

D 3

DE LITERIS ſextæ claſſis.

LIteræ ſextę claſſis, cum habeant uocalem, quę humili, ac depreſſa uoce profertur, difficulter pronunciatur. Eſt enim e, anguſtum, quod, ue niſi preſſiùs agas pronunciari nequeat, ut euenit nobis Italis in dictione mele, cum arboris uulgatum fructum ſignificat, non apum fœturam.

QVANDO E, SEXTÆ claſſis legatur.

SExtæ claſſis e, ut diximus, interdũ mouetur, interdum non; cum mouetur, illud e, ſupprimitur atq; deijcitur; cum uero non mouetur, omnes literę conſonantes remanent: *h*, autem ſemper eſt uocalis. Verum, ne toto a nobis aberretur cęlo, ſciendum eſt hoc e, ſexti

ti ordinis, eſſe apud Aethiopes, non ſecus quam ſceua apud Hebræos, vnde eius regulas in omnibus fere ſequitur, nam legitur in principio dictionis, vt ግሁር፡ & poſt vocales magnas, vt ſunt vocales omnium claſſium, præter primam, ac ſextam: legitur etiam ante vltimam dictionis, quia omnis penultima longa eſt.

DE ACCENTV LITERARVM.

QVantum vero ad literarum accẽtum pertinet, nullum accentum virgulis notant, vt Græci, & Hebræi faciunt, ſed bene, vt cæteri omnes in pronunciatione ſeruant, de quibus alias regulas non habent, niſi quod litteras omnium claſſium, præter primam, ac ſextam, cum habeant vocales longas, duplici, ac maiore pronunciant tempore; nam litera longa habet duplex tempus, vt ፈኖት፡ fenωta, illud enim na,

tum quia habet o, longum, tum etiam quia penultima eſt, retinet duplex tempus. Syllabas vero breues raptim ac feſtinanter proferunt, vt ወንበሬ፡ ንበትክ፡ vbi ſecunda litera, cum primę, ac ſextæ claſſis ſit, curſim legitur.

Verum de acuto, graui, ac circumflexo, ac etiam de ſpiritu cum denſo, tum etiam leui, nihil, quod equidem ſciam, enarrant.

REGVLÆ QVÆDAM *de Temporibus.*

OMnem primam, ac penultimam longo proferunt tempore; a, vero quartæ claſſis longiori, vbicunque ſit; habet enim vocalis eius claſſis adeo longum tempus, ut cæterarum, quę longæ ſunt, ſi ad hanc conferantur, unum dumtaxat uideantur habere tempus: exemplum አብረሃም፡ Abraham, ይስሐቅ፡ Iſaac,

Iſaac, ሰራ: Sara, ርብቃ: Rebeka.

Cæterę uero uocales lōngę, & ſi quo ad poteſtatem longę ſint, non tamen ſiſtunt uocem, niſi in prædictis locis, ut facit a, quartæ claſſis.

EXPOSITIO NOMINVM Literarum.

EDidit D. Hieronymus expoſitionem literarum Hebraici Alphabeti, cuius recondita quædam admiratus myſteria, omnia retulit in gloriam Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Verum cū idem de ſuo dicant Alphabeto Aethiopes, operępretium duximus, ſi ea quoq; nos æderemus. Nam 26. eorum literas, totidem habere nomina dicunt, quot ſunt Cherubin, & Seraphim, & illorum 24. Seniorum, de quibus in Apocalypſi Ioannes meminit, quarum ſignificatio hæc eſt.

ሆይ	Hoi	Fuit .ſ. ante ſæcula.
ላዊ	Laui	Altiſſimus, & nox.
ሐውት	Haut	Vita .ſ. Viuentium.
ማይ	Mai	Quis .ſ. ſimilis tui.
ሠውት	Saut	Trinitas.
ረእስ	Res	Caput .ſ. omnium rerum.
ሰዐት	Saat	Pax.
ቀፍ	Kaf	Sanctitas:
በት	Bet	Domus.
ቱዊ	Taui	Rectitudo, ſignum.
ኅርም	Hharm	Bonitas perfectiſſima.
ናኅስ	Naas	Ecce.
አልፍ	Alph	Principium.
ከፍ	Caf	Omnipotens.
ወዌ	Vaue	Veh.
ዐይን	Hain	Magnus.
ዘይ	Zai	Nunciatum eſt.
የመን	Iamain	Dextera.
ድንት	Dent	Initium.
ገምል	Ghemel	Gratiæ.
ጠይት	Tait	Dulciſſimum.
ጸይት	Ppait	Rubus.

ጻደደ	Zadai	Iuſtus.
ፀጸ	Zzappa	Admiratio.
አፍ	Af	Miſſus.
ፕሰ	Pſa	Tabernaculum.

Vides quæ myſteria abſtruſa ſint in hoc Aethiopum ſyllabario, quorum doctrinam in ipſum etiam Enoch referunt.

DE NOMINE.

CVm de literis, ac ſyllabis breuiter ſupra dictum ſit, ſequitur vt de Nomine aliqua videamus: partes enim Orationis primariæ apud Aethiopes quatuor dumtaxat ſunt, Nomen videlicet, Verbum, Pronomen, & Aduerbium. Præpoſitio vero, Interiectio, & Coniunctio ab ipſo pendent Aduerbio, ſicut & à Verbo Participium, omnia, vt apud Hebræos.

NOMINIS DIVISIO.

DIuiditur nomen apud ipſos, ſicut & apud nos in ስም ፡ አክል ፡ ከዉ ፡ ሀለዊ ፡ nomen ſubſtantiuum, & ወስሙ ፡ ፈድኤት ፡ nomen adiectiuum. Vocant autem ipſi ſubſtantiuum nomen, omne illud, cui ob ſui perfectionem aliud adijcitur, quoue remoto, illius tamen ſubſtãtia non amittitur, dicuntve adiectiuum illud quod ſubſtantiuo adijcitur, vnde anima apud eos ſubſtantiuum dicitur; corpus vero quod ei adijcitur adiectiuum; & itidem, dominus, ex eo quod homini, aut alteri rei adijciatur, adiectiuum apud ipſos eſt.

NOMINVM GENERA.

NOminum genera Aethiopibus quinque tantum ſunt, ተብእት ፡ እግዚእ ፡ maſculinum, vt dominus :

አንስት ፡

አንስት ፡ እግዚእት ፡ fœmininum domina ፡ ሀቡር ፡ ሰብእ ፡ commune homo : ሰፉጥ ፡ ዖፍ ፡ ንስር ፡ promiſcuum auis, aquila : ዘአይትአመር ፡ መዓልት ፡ አሚር ፡ incertum dies : neutro enim, & omni, æque caret, & ita cum non habeant neutrum genus, non habent niſi duos articulos, maſculinum, & fœmininum; maſculinum; vt ዝንቱ ፡ hic. fœmininum; vt ዛቲ ፡ hæc, quos ſic declinant.

Articulorum declinatio.

ዝንቱ ፡ hic. ዘዝንቱ ፡ huius. ለዝንቱ ፡ huic. ዘንተ ፡ hunc. እምዝንቱ ፡ ab hoc. ſimiliter & in fœminino.

ዛቲ ፡ hæc. ዘዛቲ ፡ huius. ለዛቲ ፡ huic ፡ ዛተ, hanc. እምዛቲ : ab hac. ijſdem & in plurali quoque vtuntur; eo modo, quo Hebræi relatiuum aſcer; vocatiuo ſemper addunt ኦ, ut nos & Græci, hos tamen articulos non preponunt nomini-

bus,

bus, vt Græci faciunt, & nos aliquando pro demonſtratione vtimur, ſed addũt ante nomina quaſdam literas, vt Hebræi & noſtrates vulgo faciunt, quibus omnes caſus diſtinguere ſolent; nam genitiuo præponunt ዘ; datiuo ለ, quæ litera & genitiuo & accuſatiuo quoque præponitur. vocatiuo ኦ, ablatiuo እም፡ & hoc faciunt in vtroque numero, vtrique enim eædem deſeruiunt literæ, nominatiuo & accuſatiuo nihil præponunt. Quas omnes prępoſitiuas literas in hac dictione notare potes ዘለኦእም፡ exemplũ እግዚእ፡ dominus. ዘእግዚእ፡ domini. ለእግዚእ፡ domino. እግዚእ፡ dominum. ኦእግዚእ፡ ò domine. እምእግዚእ፡ à domino.

Nominum terminationes.

NOmen maſculinum omnes literas in fine habere poteſt, quas in ſexta

ſexta claſſe ſuperius annotauimus, vt እምላክ፡ Deus. ኤል፡ Deus. እጓኒይ፡ Dominus. ሰዳዪ፡ expulſor. At Hebræis Sadai nomen Dei eſt, ſignificatq. quod & Græcis αὐτάρκης ſibi ipſi ſatis, ac nullius indigus.

Plurale Maſculini.

Plurale vero Maſculini, duas tantum finales litteras recipit ት, & ን, hoc eſt in ት, vt plurimum; ſubſtantiuum; vt እምልክት፡ Dei. መልእክት፡ Angeli, እግእዝት፡ Domini. In ን, vero adiectiuum.

Nomen vero fœmininum deſinit in literas quartæ, ac ſextæ claſſis: hoc eſt in a, longum quartæ, ac ት, ſextæ, vt ሰራ፡ Sara: ርብቃ፡ Rebeka: ልየ፡ Leia: ሱሰና፡ Suſanna. ትምህርት፡ doctrina. ሰርት፡ electa. ንጽሕት፡ munda.

Plurale Fœmininum.

Eius vero plurale in ት, deſinit, vt ትምህርታት፡ doctrinæ. ንጹሕት፡ mundæ. ſed illud ት, interdum vel ob pronomen

in fine affixum, vel ob genitiui conſtru-ctionem mutatur, & vt plurimum in ቱ, vnde in Pſal. 118. ትእዘዘቲከ ፡ mandata tua. Sed nota, quòd non ſolum in plurali fœminini nominis addunt ት, ſed literas ſuæ radicis, quæ ſunt ante ት, de claſſe in claſſem mutare ſolent, vt in nominibus prædictis notare potes; & hoc Hebræorum itidem more, qui puncta inuicem commutant.

Exceptio quorundam prædictorum.

Quantum attinet ad plurale maſculini, reperiuntur quædam nomina, quæ à prædicta deſciſcunt regula: vnde in Pſ. 118. inuenies አዕሩግ ፡ ſenes, licet aliqui velint eſſe ſingulare poſitum pro plurali, & in eodem inuenies እሙንቱ ፡ ipſi. vbi ት, in ቱ, mutatum eſt: & quædam alia ſimilia.

Omnia itidem nomina peregrina, ipſiſq. pariter barbara, à prædictis regu-

lis

lis interdum recedunt, vt ራሔል : Rahel. nam licet fœmininũ ſit nomen, ac ſextæ claſſis finalem habeat, non tamen in ት, ſed in ል, deſinit.

Cæterorum nominum termi-
nationes.

Cætera vero nomina tum communia, promiſcua, & incerta, tum alia huiuſmodi, eaſdem omnes terminationes ſeruant, quas in maſculino & fœminino diximus.

Litterarum nominum, commu-
tationes.

Vſitatiſſimum eſt apud Aethiopes non ſecus quam Hebræi de punctis faciant, eaſdem litteras de vna in aliam mutare claſſem, vt ቱ, in ቲ, vel in ቴ; vel in ቶ, & cætera huiuſmodi: non enim mutant litteram pro littera; ſed eandem de vna in aliam claſſem, & hoc varijs faciunt rationibus; quarum prima hæc eſt, vt nominum εὐφωνία ſeruetur, ne

 aures

aures male audiant, neve vox turpiter decidat, ac proſternatur: quapropter omnes literæ, quæ ſunt in fine orationis, recedunt à regula, quam diximus in terminationibus maſculini ac fœminini nominis, ex eo quòd tranſeat ad literas primæ claſſis, de quarta videlicet, ac ſexta, & hoc ne vox in fine langueſcat, ſed quia in quarta minus quàm in prima & ſexta langueſcit, verius eſt vt de ſexta in primam aut quartam cõmutatio fiat: de quarta verò nequaquã. Fit & aliquando prædicta commutatio ob aliquod pronomen, aut quid ſimile, in fine affixum, vt ſupra diximus: Et propter regimen genitiui, nam ſi de genitiuo remoueas *H* notam, litera finalis præcedentis dictionis de ſexta claſſe in primam mutari ſolet, exemplum እግዚእ ፡ ዘእጋእዝት ፡ Dominus dominorum; at ſi remoueas *H*, dices እግዚአ ፡ እጋእዝት ፡ exemplum ob aliquod affi-

xum

xum in fine habes in Pſ. x. ወአዕይንቲሁኒ ። & oculi eius, ወቀራንብቲሁኒ ፡ & palpebræ eius, vbi ob affixam dictionem ኒ, quæ ſignificat ſed, ት pluralis in ቲ mutatum eſt: & ita de alijs dicendum eſt, quæ ex frequenti lectione ex te ipſo notare poteris, nam in quam claſſem littera commutetur, aures potius, vt equidem puto, quàm canones aliqui, ſunt conſulendæ.

Nominum ſpecies.

Habent vt nos primitiuum & deriuatiuum, vt እግዚአብሔር፡ Deus, እግዚአብሔራዊ ። Deum colens, ሰማይ ፡ cælum, ሰማያዊ ፡ cæleſtis, ኢየሩሳሌም ፡ Hieruſalem, ኢየሩሳሌማዊ ፡ Hieruſolimitanus, ኢትዮጲያ ። Aethiopia, ኢትዮጲያዊ ፡ Aethiops, ሮማ ። Roma, ሮማዊ ፡ Romanus, vbi notare potes quòd ſemper cùm formant deriuatiuum, addunt in fine literam ዊ ።

De nomine Comparatiuo.

Comparatiuum nomen, quod à poſitiuo

ſitiuo formetur non habent, & hoc Hebræorum more, ſed addunt ſuo poſitiuo dictionem ፐቀ ፡ ideſt quam, & pro comparatiuo vſurpant, vt ሠናይ ፡ bonus. ፐቀ ሠናይ ፡ quàm bonus, pro melior. licèt comparatiuum & ſuperlatiuum, vt nos quoque ἀνώμαλον, habeant, vt ሠናይ ፡ bonus, አዩም ፡ melior, ኄር ፡ optimus.

Exemplum declinationum nominum.

Nomin. ሀልው ፡ ſubſtantia. Genit. ዘሀልው ፡ ſubſtantiæ. Datiu. ለሀልው ፡ Accuſ. ሀልው ፡ Vocat. ኦሀልው ፡ Ablat. እምሀልው ።

Plural Nom. ሀልዋን ። Gen. ዘሀልዋን ። Datiu. ለሀልዋን ። Accuſatiu. ሀልዋን ። Vocat. ኦሀልዋን ። Ablat. እምልዋን ።

Hoc modo declinare poteris non ſolum nomina, ſed etiam omnia pronomina.

Exem-

Exemplum declinationis Pronominum

Nominat. አነ ፡ ego, & eſt communis generis. Gen. ዘአነ ፡ Dat. ለአነ ፡ Acc. አነ ፡ Ablat. እምአነ ፡

Plural. Nominat. ንሕነ ፡ Genit. ዘንሕነ ፡ Dat. ለንሕነ ፡ Accuſ. ንሕነ ፡ Ablat. እምንሕነ ፡

Et ita de cęteris, videlicet አንተ ፡ tu maſculin. አንቲ ፡ tu fœmin. & in plurali አንትሙ ፡ vos maſcul. አንትን ፡ vos fœm. ውእቱ ፡ ille. ይእቲ ፡ illa. እሙንቱ ፡ illi. ውእቶን ፡ illæ. ዘእየ ፡ meus ſeu potius mei. ዘአከ ፡ tua, vel tui, & in plurali idem facere poteris, ſi literam ን in fine addideris, & vltimam ſingularis abieceris, vt ዘእን ፡ ſimiliter & in fœminino, ſi eandem literam in fine addideris, & vltimam tertiæ claſſis χαρακτηρι-στικὸν ſuam mutaueris, hoc eſt ኪ in ክ, ut ዘአክን ፡ longum eſſet ſi alia quædam nomina declinare vellemus, cum ex his

quæ notauimus, cætera omnia ex ſe ipſo diſcere diligens lector valeat.

De nominum affixis.

Affigunt Aethiopes, non ſecus quàm Hebrei faciant ſuis nominibus, ac etiam verbis, litteras quaſdam in fine, per quas breui quodam modo pronomina, præpoſitiones, & ſimilia notare ſolent, hæc autem Hebræis ſimilia ſunt. Nam ኒ ſignificat me maſcul. generis, ተ me maſculin. & fœm. የ meus, vt አምላክ፡ Deus አምላክየ፡ Deus meus; ክ ſignificat te, & tuus, vt ነፍስ፡ anima, ነፍስክ፡ anima tua, in genere dumtaxat maſcul. at in fœmin. dicitur ኪ vt አኘበአትኪ፡ vbera tua. Cum verò notare volunt illum, vel eum, ſicut Hebræi, addunt in fine vau literam cum puncto holem, vt ben filius, beno filius eius; ita & hi literam vltimam radicalem cuiuſcunque claſſis mutant in ſecundæ claſſis characteriſticam ſuam, quæ habet vau affixum,

vt

vt ስምረት ፡ voluntas, ስምረቱ ፡ voluntas eius: ንዋይ ፡ diuitiæ, ንዋዩ ፡ diuitiæ eius. የ vero quod ſignificat meus, communis generis eſt, & ponitur etiam pro mea. Attende tamen, quod aliquando cum litera quæ habet vau affixum mutetur in quartam claſſem, quæ habet a longum, illud itidem vau amittitur, & tamen ſignificat eam, ſeu illam. exemplum ሃይማኖት ፡ fides. ሃይማኖቱ ፡ fides eius, in fœmin. ሃይማኖታ ፡ Item quemadmodum Hebræi affigunt interdum ſupra litteram punctum holem: quod eſt apud eos o longum, ita & hi vertunt literam in ſeptimam claſſem, quæ habet o magnum, & ſignificant itidem vt illi, eum, vel eius, & huiuſmodi, vt ሕግ ፡ lex, ሕጎ ፡ lex eius, Pſalm. ፩: & የኅሥሥዎ ፡ exquirent eum, Pſ.cxviij.

In plurali verò Hebræorum more dicunt ኒ, nos ſeu noſter, vt መጽሐፍኒ ፡ liber noſter, ክሙ ፡ vos ſeu veſter, vt

liber

መጽሐፍክሙ ፡ liber veſter, ሙ, illis vel ſuos, vt መጽሐፎሙ ፡ liber illorum, ſed litera quæ eam præcedit, mutatur in ſeptimam claſſem. Affigunt & litteram ሁ pro ſuis ſeu illius maſcul. vt ፍሬሁ ፡ fructum ſuum, & ሃ pro ſua, ſeu illius fœm. vt ፍሬሃ ፡ fructum ſuum, & በበጊዜሃ ፡ in tempore ſuo, & hoc eodem modo, quo Hebræi.

Affigunt etiam alias literas ante & poſt dictiones pro præpoſitionibus, aduerbijs, coniunctionibus, & ſimilibus, vt በ in, እም ፡ ab, vt እምኔነ ፡ a nobis: ſignificat etiam, in, vnde in cantico Zachariæ, እምቤት ፡ ዳዊት ፡ in domo Dauid, በ ſignificat etiam, propter, vt በእንተ ጽድቅ ፡ propter iuſtitiam: ሰ, autem, vnde, vbi nos habemus in Pſal. 1. non ſic impij, non ſic: ipſi legunt, አኮ ፡ ከመዝ ፡ ኃጥአንሰ ፡ አኮ ፡ ከመዝ ፡ non ſic autem peccatores, non ſic: & vbi nos dicimus in Pſal. cxiij. Et iter peccatorum pe-

peribit, ipſi habent, ወፍኖቶሙስ፡ ſed & iter. ſignificat etiam, ſi, vt ይረትዕስ፡ ſi rectum eſſet. Quæ litera verbis tranſitiuis, paſſiuæ maximæ ſignificationis ante futuri literas, vt infrà dicetur, addi ſolet, ኢ ſignificat non, vt ዘኢሖረ፡ qui non abijt, ወዘኢቆመ፡ & qui non ſtetit: nã ዘ ponitur pro relatiuo quis, vel qui, quæ, ſicut apud Hebræos litera ſin & aſcer, ወ pro vau hebræo, ideſt pro, &, coniunctione, ኒ pro autem: vnde Matthei primo, ወይስሐቅኒ፡ ſed & Iſahac, ſeu & etiam Iſahac, quod in omnibus nominibus eius capituli vſitatiſſimum eſt. Sunt & alia quædam huiuſmodi, quæ lector ex frequenti lectione ex ſe ipſo notare poterit.

Nominum deriuationes, ac compoſitiones.

Nomina verò, ſicut apud Hebræos, vt plurimum ab aliqua verbi radice deſcendunt, ita fit apud Aethiopes, vnde

à

à ብፀዐ ፡ beatus, ſeu voto addictus fuit, venit ብፁዕ ፡ beatus, & à ስዐመ ፡ oſculatus eſt, deriuatur ስዕመት ፡ oſculum, à ጸድቀ ፡ iuſtus fuit, venit ጻድቅ ፡ iuſtus, & ጽድቅ ፡ iuſtitia, & alia ferè omnia: Addunt etiam verbis aliquas literas, & formant nomen verbale, vt faciunt Hebræi, vnde ſicut à iaſau ſedit, addendo m, formant moſau ſedes, ita & hi à ነበረ ፡ ſedit: addendo itidem መ, faciunt መንበር ፡ ſedes, ſeu cathedra. Apponunt interdum etiam literam ት, vt Hebræi, (qui à sok deſiderauit, formant teſukà, deſiderium, & ab hillel laudauit, formant tehilla laus) vnde à እዘዘ ፡ mandauit, formant ትእዛዝ ፡ mandatum: vnde Dauid, እዘዝከ ፡ ትእዛዝከ ፡ mandaſti mandatum tuum, & ትእዛዛቲከ ፡ mandata tua; vbi, vt ſupra diximus, ob affixum pronomen, ት pluralis nota, mutatum eſt in ቲ tertiæ claſſis.

Operæpreciam eſt poſt nominis declarationem & de verbo ſermonem facere, quod orationis declinabilis, ſecunda, ſicut & apud nos habetur pars.

Genera verborum.

Verborum coniugationes nullę apud Aethiopes, quod equidem ſciam, reperiuntur, ſi præteriti radicem, vt fit apud Hebræos, æqua lance perpenderis, at ſi futurum, quod Aethiopes faciunt, cùm ab eo omnia verba auſpicentur, tres apud eos coniugationes Hebræorum more reperies, licèt ego rectiùs verborum genera appellarem, vnũ actiuorum, quæ habent pro futuri nota in prima perſona vel አ primę, vel እ ſextæ claſſis, vt አመልክ ፡ adorabo, እመልክ ፡ potero, እገብር ፡ faciam. Alterum tranſitiuorum, quæ ab actiuis deſcendunt, illis ſcilicet, quæ habent እ ſextæ, quæ litera in አ primæ mutatur, in verbis tráſitiuis,

ſitiuis, vt ab አገብር : faciam, fit tranſitiuum አገብር : fieri faciam, quod tranſitiuum nullo modo deſcendet ab actiuo, ſi habet actiuum in prima futuri አ primæ, cùm tranſitiuum quoque incipiat ab eadem litera. Tertium paſſiuorum, quæ in futuro ſemper incipiunt ab እ ſextæ, & nunquam ab አ primæ, & poſtea ſequitur litera, quæ eſt nota paſſiui, videlicet ተ regulariter, vt እተገበር : fiam, እተመለክ : imperabor.

Tempora verborum.

Verborum tempora apud omnes, quod exploratiſſimum eſt, tria principalia ſunt, præteritum, præſens, & futurum, ex quibus cætera alia Græci formant, & quibus pro cæteris alijs vtuntur Iudæi. Hebræi carent quidem præſenti, ſed eius loco vtuntur participio præſenti. Quid enim in rerum natura indagator aliquis, quantumuis callidus

&

& ſagax, conſiderabit, quod aut non fuerit, aut ſit, aut futurum ſit? nihil profectò. Verùm Chaldæi qui Aethiopiam incolunt, dum quæque fluxa, caduca, atque perpetuò abeuntia, perſpicaci quadam ratione, Hebræorum more reputant, fit vt præſens tempus vix admittant, & ita futuro eius loco vtplurimum vtantur. De quo cùm multis aduerſus Petrum præceptorem meum contendiſſem, perſuadere non potui, vt pro præſenti reciperent illud, quod modò eſt, eò quòd eſſe verè non dicerent, quod perpetuò effluit, atque dilabitur, & de futuro in præteritum abit; dumque motum ipſum metitur, præterit, ac ita in nihilum abit. Soli ergo Deo, apud quem nulla eſt temporum viciſſitudo, præſens tempus, ſcilicet, quod permaneat, eo modo intelligendo, quo D. Gregorius lib. quarto moralium cap. 1. ait enim: Modus quippe

eſt temporis, vt ſtatum non habeat máſionis, quia enim per ventura tendit ad eſſe, ſemper ex prçteritis feſtinat non eſſe; idque iure attribuunt, nobis veriùs præterita aut futura. Quapropter & ſi prçſens recipiant, raró tamen vtuntur, ſed eius vice aut futuro, aut, quod raró faciunt, præterito, omnia vt apud Hebræos, qua de re infra ſuo loco dicetur.

Modi verborum.

Modi verborum Chaldçis, ſicut etiam nobis, quinque ſunt, qui tamen prçter indicatiuum, imperatiuum, & infinitiuum, ſua tempora diſtincta haudquaquam habent, vnde in alijs, indicatiui vtuntur temporibus, quod aut ex adiunctis nonnullis dictionibus, de quibus infra dicetur, aut ex orationis contextu cognoſci poterit, omnia vt apud Hebręos.

Per-

Vt taceam ſpecies atque figuras, perſonæ verborum, vt cęteris omnibus, tres ſunt, Prima, ſecunda, ac tertia. Numeri verò duo, ſingularis, & pluralis, tam in verbis quàm in nominibus, ſed interdum, vt Græci ſolent, ſingulari pro plurali vtuntur, vt ወቀራንብቲሁ፡ የሐትቶ፡ Et palpebræ eius interrogat, pro interrogant, Pſalm. 10. vnde ſtatim ſequitur, እግዚአብሔር የሀትቶ፡ Dominus interrogat iuſtum, & impium.

De verborum radice.

Verborum omnium radix, quę ſemper in primis inueſtiganda eſt, ſi tertiam pręteriti ſingularis inſpexeris, quod in grammatica hebræa, huius, vt ita dixerim, germana, vſitatiſſimum eſt, eò quòd nulla ſit ibi extrinſecùs adſcita

litera, trium literarum quaſi ſemper inuenitur, plurium vel pauciorum rarò; vt ገበረ ፡ fecit. ነገረ ፡ narrauit. ከረየ ፡ aperuit, ſeu effodit. ነበበ ፡ dixit; pauciorum, vt ሖረ ፡ abijt. ቆመ ፡ ſurrexit. Verbum verò cuius radix ſit vnius literæ, numquam reperitur; plurium ſic, vt አፍቀረ ፡ amauit. አንከረ ፡ miratus eſt. ተወክፈ ፡ recepit. ተመሀርኩ ፡ didici. ወሐለይኩ ፡ cogitaui, & ſimilia; at quæ quatuor literas excedat, ego nunquam inueni apud ſacras literas.

De Verbis defectiuis.

Sunt aliquæ literæ, quæ in verbis Hebræorum, aut deficiunt, aut in punctis magnis quieſcunt, vt ſunt literæ eheui & nun, at idem videtur accidere apud Aethiopes, præſertim in futuro, & hoc Hebræorum more, propter literas, quę ſunt futuri temporis notæ, tunc adſci-

tas,

tas, vbi & ſi vocalem aliquam auferunt, ſeruant tamen in præcedenti futuri litera, vocem eius, exemplum አፍቀረ ፡ amauit, in futuro aufertur illud አ, vt አፈቅር ፡ ትፈቅር ፡ ይፈቅር ፡ amabo, amabis, amabit: nihilominus vox eius in literis futuri quieſcit, atque ſeruatur, hoc autem rariſſimò vtuntur, & nonniſi in puribus vocalibus.

De mutatione literarum in verbis.

Non ſolùm in nominibus, literæ de vna in aliam varijs ex cauſis, vt diximus mutantur claſſem, ſed hoc in verbis etiam accidit, præſertim in futuro; cuius literæ ſępè ſępiùs commutantur, ſed tamen nonniſi in a, aut e, noſtrum, ſecundùm quod fuerit futuri prima, quæ numquam eſt niſi አ primæ claſſis, aut ኣ ſextę, vt latiùs infra in futuro dicetur. Sunt qui dicant non ſolum eandē

 lite-

literã de vna in aliã mutari claſſem, ſed etiam literam in literram, ſi ſimilis, atque characteriſtica ſit, vt aſpirata in aſpiratã, palatina in palatinam, & huiuſmodi: exemplũ ወመሐረኒ : & doce me, at in eodẽ pſalm. pluries inuenies ወመሀረኒ : vbi notatur ሐ & ሀ gutturales inuicem commutari, & in eodem pſalmo ዐ pro እ prima futuri nota, ወዐዘቀዐ : & exercebor, nam ibidem legitur ወእዘቀዐ : & exercebor, nam cum gutturales ſint, dicunt eas inuicem commutari: verum Petrus Aethiops vir ſuæ linguę peritiſſimus, hoc impreſſorum mendum eſſe dicebat, nec admittebat vt litera pro litera poneretur.

De tempore præſenti.

Licet a futuro ſua tempora auſpicentur Aethiopes, nos tamen noſtrum ſequuti morem, prius aliqua de præſenti

diſ-

diſſerenda fore operæpreciũ duximus: Præſens igitur tempus Hebręorũ more diſtinctum non habent, niſi in ſubiunctiuo, & ideo pro eo, futuro vtuntur, vel, quod rarius eſt, præterito, magnas hoc certe lectoribus offundit tenebras, verum hoc ſciri poteſt, aut ex adiunctis aduerbijs, aut ex orationis contextu, aut ex longa perpenſaque lectione, periculoſa nihilominus hæc alea eſt, niſi lector cautus ac prudentiſſimus ſit: Præſens vero ſubiunctiui a futuro inquam pluri‑mis verbis facillime dignoſcitur: nam verba quæ in futuro habent primam radicalem, ſeu ſecundam in ordine, quæ ſit primæ claſſis, in præſenti ſubiunctiui mutant eam in ſextam: vt አፈቅር ፡ ተፈቅር ፡ ይፈቅር ፡ in præſ. ſubiunct. dicent ፡ አፍቅር ፡ ትፍቅር ፡ ይፍቅር ፡ & እገብር ፡ እነግር ፡ in ſubiunct. dicent እግብር ፡ እንግር ፡ sũt aliqua verba quę ab hac regula deſciſcũt, vt eſt verbũ quod in fine conſcripſimus,

at hæc ſtata quędam in omnibus ferè regula eſt, vbi præſens ſubiunctiui primæ perſonæ facile à futuro dignoſcitur, & ita euenit in aliis perſonis vtriuſque numeri, in quibus & ſi futuri literæ apponantur, ex prima radicali commutata cognoſcitur non eſſe futurum: præſens enim ſubiunctiui raro admittit alias literas quam ſextæ claſſis. At ſi ipſum idem futurum pro præſenti ponatur, quod, præſertim apud ſacras literas vſitatiſſimum eſt, nec vlla claſſium facta commutatio ſit, tum id, aut ex orationis contextu, aut ex adiunctis aduerbijs, quæ hoc ipſum innuant, aut ex aliquo preſenti tempore pręcedenti cognoſces, quæ omnia frequens atque conſiderata lectio te ipſum docebit: idem prorſus dicendum, quando præteritum pro pręſenti ſumitur.

De

De præterito imperfecto ac pluſquam perfecto, & de vernacula eorum lingua.

